



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Arnoldi Corvini à Belderent J. U. D. Jus Canonicum, Per  
Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

Excessibus Prælatorum & Subditorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**

T I T. XXXVIII. De eo qui ordinem, &c. 297

sive per saltum, collatus, charactera quidem confert; non executionem; nisi juris regulæ sint servatæ. *ut dic. Hostiens.*  
*& Panorm. ad c. un. hic.*

*De eo qui ordinem furtivè suscepit.*

T I T. XXXVIII.

**Q**Uarta causa est, si Clericus clam & furtivè ordinem acceperit.

Illud fecisse intelligur, non tantum qui se clam cum aliis intrusit, cum quibus promotus; *c. quando Episcopus. dist. 24.* sed & qui plures ordines uno tempore simul suscepit. *c. innotuit. fin. hic.*

Hic à majoribus ordinibus exclusus, etiam suscepti ordinis executionem, de rigore juris, non habet; *d. c. innotuit. hic. & pœnitentia monasterii ei injungitur. c. veniens.*  
*i. c. innotuit. eod.*

Ad superiores tamen ordines descendere potest, si cum eo dispensemur. *d. c. veniens. i. & 2. & fin. eod.*

Dispensare potest solus Papa, si contra hoc facientes lata erat excommunicatio; si non, & Episcopus, & Abbas. *d. c. i. & 2. & fin.*

Furtivè etiam ordinatus censetur, qui sine examinatione se ordinari curavit; *c. extra conscientiam. dist. 64. c. quando. dist. 24.* quare & deponi debet. *c. si quis Presbyter. c. fin. dist. 24. c. ex pœnitentibus. dist. 50.*

*De excessibus Prælatorum & Subditorum.*

T I T. XXXIX.

**S**equitur nunc specialiter de Clericorum sive Prælatorum, sive Subditorum delictis, quatenus non funguntur officio, quod sibi invicem præstare debent.

Peccat enim Prælatus, cum excedit officium suum erga Subditos; & peccant Subditi, cum erga Prælatos officium suum excedunt.

*Officium subditi erga Prælatum est, ut ei honorem & obedientiam exhibeat, c. ad aures. 5. de tempor. ordin. dist. 93. per tot.*

*Officium Prælati erga subditos, ut eos tanquam Clericos honoret & diligat; nec solum eis præsit, sed prospicit. vide supra. lib. I. tit. 13. de offic. & potest. Episc.*

*Qui contra officium peccarunt, varie, pro admissi qualitate, coercentur. vide c. I. 2. 3. c. sicut. c. inter. c. minis. hic.*

### *Quibus modis de crimine agatur.*

T I T. X L.

**H**ucusque varia enarravimus criminum genera; nunc videndum, quomodo ea in judicium deducantur, ut puniantur delinquentes.

Hoc fit aut per *Accusationem*, aut per *Inquisitionem*, aut per *Denunciationem*. c. qualiter. vers. contra quos. de accus. c. licet Heli. 31. circa pr. de Simon.

*Accusatio*, est criminis alicujus, & ejus qui illud admisit, apud Iudicem delatio, publicæ vindictæ & pœnæ causâ facta.

Ea coram idoneo & competente Iudice instituenda, ab iis quibus accusandi jus est, contra eos quos accusare licet.

*Competens Iudex* est alius si *Clericus* accusatur, alius si *Laicus*.

Si *Clericus*, est Iudex Ecclesiasticus, c. clericis. de judic. c. I. & seqq. 11. qu. I. c. at si *Clerici*, c. cum non ab homine. de jud. c. novimus. de verb. signif ordinarius; vel alius cui ex consuetudine, vel privilegio data fuit jurisdictio, & potestas cognoscendi: c. cum contingat. 13. de foro comp. Nisi *Clericus* sit incorrigibilis, & exauthoratus, & à judice Ecclesiastico Curiæ seculari traditus vel relictus. d. c. cum non ab homine. & d. c. novimus.

Si *Laicus* accusatur; competens judex est Secularis, qui cum potestate est. Nisi tale objiciatur crimen, quod & ad